



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quòd misericordia Dei, quae propter Christum exhibetur, non
appr[a]ehenditur dubitante conscientia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

per ipsum saluetur. Talem promissionem nostra iustitia aut dignitas operum non habet: quare etsi ea maxime exigantur, non merentur iustificationem & remissionem, sed ex misericordia immerita exhibetur propter Christum. Hæc non est exigua consolatio anxietate conscientie, quæ non propter nostram iustitiam aut meritum, sed propter Christum reputamur iusti & saluamur. Ille nobis datus est à Deo, ut sit nostra sapientia, sanctificatio, iustitia & redemptio, ut ait Apostolus 1. Cor. 1.

2. Promissio Dei, quod propter filium suum vult nobis gratis exhibere misericordiam, non apprehendi vult dubitante conscientia. Nam non credere Verbo Dei, aut de illo dubitare, grauissimum est peccatum, eod quod Deus est summa veritas, & non potest mentiri. Igitur qui dubitat de illa promissione, quæ propter Christum iustificetur, aut quod velit illam proprijs meritis accipere, & non gratis, ille peccaret maxime. Vnde igitur omnis dubitatio adimatur conscientie, statuit Deus propter Christum nos reputari iustos, ut conscientia sit certa: Et primo, quia herentes in carne, propter peccatum legi non possumus satisfacere Roman. octauo: Deinde si iustificatio & salus penderet à nostra dignitate & operibus, conscientia nunquam esset certa: Nemo sufficienter operatur bona opera, ut sic possit certificari. Romanorum octauo. Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam. Et Psalm. 114. Non intres in iudicium cum seruo tuo. Postremo, etsi omnia optimè fecerimus, iubet CHRISTVS nos dicere, nos seruos inutiles esse. Igitur ut conscientia sit certa, adimitur causa salutis & iustificationis nostris operibus, & transfertur in Christum, & hoc totum, ut conscientia sit certa, & non angatur, sicut dicit Apostolus Roma. Ideo ex fide, ut promissio sit firma, id est certa. Quicquid igitur sit de mea iustitia, hæc non quaero salutem, sed credo per gratiam, id est, immeritam Dei misericordiam pro-

pter Christum me saluari. Et sic omnes fideles docentur gratia, id est, immerita misericordia Dei propter Christum saluari. Rom. 6. Donum Dei vita æterna.

Verùm hæc non dicuntur, vt reijciantur bona opera, pœnitentia, & Sacramenta, &c. Immò hæc ipsa maximè & necessariò sequi debent Fidem, id est, acceptam misericordiam in Baptismo: Quòd si non sequuntur, nec illa iustitia Dei gratis accepta retinetur Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Et 1. Corin. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus &c. Hebr. 9. Multò ampliùs sanguis Christi Iesu Et præter hoc quòd retinent iustitiam, habent & sua præmia, alia in hac & post hanc vitam spiritualiter & corporaliter, 1. Corint. 3. Vnusquisq; mercedem suam accipiet iuxta suum laborem. Sed vt apud Deum accepti sumus, non est causa legis impletio, sed promissio propter Christum facta. Huic promissioni si quis credit, & non dubitat, hæc fides facit Deo acceptum, & sanctificat personã & gratam Deo reddit, etiam si carne adhuc sumus peccatores & indigni. Non ergò dubitare debet conscientia, an hoc ita cõtingat propter Christum, nec ne. Fides simpliciter hæreat verbo Dei, & sine hæsitatione duret in Fide verbi, & non videbit mortem in æternum, Ioan. 8. Rom. 10. Omnis qui credit in illum, &c. Præterea notanda est maximè hæc differentia legis & Euangelij. Lex enim sub conditione promittit meritum, vt si seruauero legem & præceptum, habebò bona temporalia, Deuterono. 28. Sicut etiam est illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, &cæt. Euangelium autem sine conditione gratis propter Fidem in CHRISTUM, pronunciat nos iustos, id est, acceptos esse DEO, etiam si non satisfaciamus legi. Ita conscientia sit certa, se habere remissionem peccatorum. Qui igitur sic docent, si contritio est sufficiens, consequentis remissionem: si seruasti sufficienter præcepta, intrabis

trabis

trabis in reguum cœlorum, isti assuunt conditionem legis, & relinquunt conscientiam incertam de remissione: & illa dubitatio maximè euacuat Euāgelium, quod nos gratis pronunciat iustos, etiam si legi non satisfecerimus, modò pœniteamus, & verbo Dei fide hæreamus. Rom. 3. Iustificati gratis gratia ipsius, &c. & in 4. capit. expressè notat particulam, Gratis, quia per hanc notat differentiam legis & Euangelij.

3. Misericordia & Gratia, meritum & dignitas operum hominis, opponuntur. Est enim Gratia, immensa misericordia Dei, quæ nobis exhibetur propter filium eius Christum. At meritum, est promeritum præmium pro operatis laboribus & operibus; merces enim debetur pro iustitia, & est ex gratia vel misericordia, Roman. 4. & 11. Si ex operibus, iam gratia non est gratia. Quia ergo scriptura tribuit gratiæ & misericordiæ Dei propter Christum iustificationem & salutem, Actor. 10. & 15. & omnes homines cupiunt respici ex misericordia & saluari, sequitur quòd meritum operum hoc habere non poterit, nec etiam saniores Doctores hoc credere voluerunt. Nam quotquot vivimus & morimur, semper nos gratiæ & misericordiæ Dei committimus. Habent enim nostra opera alia præmia à beneficijs Christi, quæ Deus propter Christum etiã coronare vult gloria & vita sempiterna. Hęc omnia dicta sunt ad consolationem & certitudinem conscientiæ in re salutis maximè anxiate.

CAPVT XXXXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodo certant & concordant in Autore Salutaris, id est, Christo, omnes veteres & recentiores.*
2. *Quomodo ydem variant & pugnant de acceptione aut distributione vite aeternæ.*

3. *Quæ*